

## DISSERTATIO III

## DE ACTU INTERNO ET EXTERNO FIDEI

D. Thomas, qq. 2 et 3.

## ARTICULUS I

*Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem, et quid?*

Dico 1° : Fuit omni tempore necessarium necessitate medii ad salutem credere fide supernaturali determinate et explicitè hæc duo : scilicet Deum esse authorem gratiæ et remuneratorem gloriæ.

*Prob. ex Apostolo, Hebr., xi, 6, dicente : Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* Apostolum loqui de Deo et remuneratore in ordine supernaturali, scilicet quod sit author gratiæ et remunerator gloriæ, constat : 1° quia, cum dicit : *Credere oportet*, loquitur de fide supernaturali quam antea definierat, *ibid.*, 1 : *Rerum sperandarum substantia, argumentum non apparentium.* Res enim sperandæ humani ingenii captum superant, et res non apparentes humana ratione investigari non possunt. 2° Quia postea in eodem capite, 14, dicit de Abraham, quod cum aliis SS. Patribus, meliorem patriam, id est cœlestem, appeteret, et de Moyse, *ibid.*, 26, quod, thesauro Ægyptiorum contempto, aspiciebat in remuneratorem, utique cœlestem.

Suadetur ratione. Secundum providentiam ordinariam, necessarium est necessitate medii ad salutem, quod homo, qui ratione regitur, cognoscat finem ultimum in quem tendit, et media quibus ad illum pervenitur. Finis ultimus in quem homo tendit, est consortium gloriæ Dei ; media quibus ad illum pervenitur, sunt gratia et actus virtutum

supernaturalium fidei, spei et amoris, per gratiam elicit. Atqui hunc finem et hæc media homo cognoscere non potest per rationem naturalem, sed per solam revelationem ; sunt enim supernaturalia, nec ratio naturalis dicit Deum velle admittere hominem ad consortium suæ gloriæ, neque explicat media quibus ad illud pervenitur. Ergo.

Dico 2° : Post Evangelium sufficienter promulgatum, fides explicita Incarnationis et Trinitatis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem.

Est probabilior et communior. Intellige tamen de necessitate non ex natura rei, alioquin eadem fuisset omni tempore, sed de necessitate ex institutione et voluntate Dei pro hoc statu legis gratiæ.

[Dicitur, « post Evangelium sufficienter promulgatum, » quia supponitur, ante dictam promulgationem, fidem implicitam horum mysteriorum fuisse communiter sufficientem, ex Apostolo, ad Galat., iii, 23 : *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat.* Dixi « communiter, » id est minoribus et communi populo. Videtur enim quod majores, seu sacerdotes et doctores, offerentes sacrificia præfigurativa Christi, et explicantes prophetias de Christo venturo, tenebantur saltem necessitate præcepti aliquo modo harum rerum sacrarum significationem cognoscere.]

*Prob. prima pars. 1° Ex Scriptura. Christus, Joann., iii, 14 et 15, dicit : Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Atqui aspectus serpentis erat medium necessarium ad sanitatem corporalem. Ergo et fides in Christum ad sanitatem spiritualem. Ipsum autem loqui de fide explicita, patet ex his quæ ibidem subdit : *Qui, inquit, credit in eum, non judicatur ; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* ÷ nomine designat personam ; ÷ Unigeniti Filii Dei distinguit a cæteris personis. Ergo loquitur de fide explicita, et quidem absolute necessaria ; quia qui non credit, jam judicatus est.

*Joann.*, xiv, 1, Christus dicit : *Creditis in Deum, et in me credite*. Ubi parem exigit fidem de seipso ac de Deo. Atqui fides explicita de Deo est necessaria necessitate medii. Ergo et de Christo. Plura alia similia leguntur in Evangelio et in Epistolis Pauli.

*Prob.* 2<sup>o</sup> ex Patribus et concil. Trid. S. Augustinus, lib. *de Corrept. et Gratia*, c. 7, n. 11 : « Ab hac damnatione, inquit, non se liberabunt, qui poterunt dicere se non audivisse Evangelium. » Ubi loquitur de fide explicita, quia loquitur de fide Evangelii, et necessitatem adstruit absolutam atque inexcusabilem, etiam ex ignorantia invincibili, quod importat necessitatem medii.

S. Thomas, hic a. 7, o, ubi initio loquitur de eo quod est necessarium necessitate medii, in fine sic concludit : « Post tempus gratiæ revelatæ, tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi. » Et adhuc expressius in III *Sentent.*, dist. 25, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2 : « Post adventum Christi, inquit, omnes tam majores quam minores tenentur ad credendum explicite, et si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret. » Ergo aperte sentit fidem explicitam esse necessariam necessitate medii, et non tantum præcepti ; alias, si instructione careat, excusaretur ab ejus præcepto : quod non admittit S. Doctor, sed recurrit ad medium extraordinarium revelationis, quod tunc esset debitum.

Trid., sess. vi, cap. 6, agens de dispositione ad justificationem et de iis quæ ad illam sunt credenda, dicit : « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt ; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. » Porro, si sit necessarium « in primis » hoc credere de redemptione per Christum, ergo nihil magis necessarium. Ergo hæc fides explicita de Christi redemptione est inter prima credibilia reponenda, et præ cæteris necessaria, consequenter necessitate medii.

*Prob.* 3<sup>o</sup> ratione. Perfectior fides Incarnationis requiritur in nova lege, in qua istud mysterium est peractum et revelatum, quam in veteri lege, in qua erat velatum. Atqui in veteri lege fides implicita Incarnationis erat necessaria necessitate medii. Ergo in nova lege est necessaria fides explicita. — *Prob.* min. 1<sup>o</sup> ex Apostolo, *Galat.*, ii, 16, dicente : *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*. 2<sup>o</sup> Sicut necessaria est redemptio Christi, ita et fides illius ; per fidem enim applicatur redemptio, juxta illud, *Rom.*, iii, 22 : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum*. Atqui redemptio Christi est et fuit omnibus, pro quovis tempore, necessaria necessitate medii ad salutem, ut docet Apostolus, *Rom.*, v, 18 : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Ergo.

Secunda pars sequitur ex prima. Quia non potest haberi fides explicita Incarnationis, nempe quod Filius Dei sit incarnatus et conceptus de Spiritu sancto, absque fide explicita Trinitatis. Adde quod Incarnatio sit tantum objectum secundarium fidei nostræ, Trinitas autem primum. Ergo, si in nova lege requiratur fides explicita objecti secundarii, a fortiori objecti primarii.

Utraque pars confirmatur ex Symbolo sancti Athanasii ab Ecclesia recepto, ubi cum S. Doctor explicuit mysteria Trinitatis et Incarnationis, concludit : « Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. »

Dixi : « Post Evangelium sufficienter promulgatum ; » quia, ab adventu Christi usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, idem censendum est ac de tempore præcedente Incarnationem, scilicet satis fuisse fidem implicitam de Christo ; quia non debet reputari medium ad salutem necessarium, quod non est sufficienter promulgatum. Id namque repugnat Dei bonitati et suavi ejus providentiæ, ut arguit Bernardus, epist. 77. Ii tamen quibus erat in particulari promulgatum Evangelium, tenebantur ex præcepto ad fidem explicitam. Quando autem

sufficienter fuit pro omnibus promulgatum Evangelium, incertum est. Probabile est id contigisse quadragesimo circiter anno post Christi ascensionem, quando templum Jerosolymitanum et respublica Judæorum per Romanos fuerunt subversa.

[Dico 3<sup>o</sup> : Fides explicita utriusque mysterii est necessaria necessitate medii, non solum ad secundam salutem, scilicet glorificationem, sed etiam ad primam, scilicet justificationem.]

Est contra Canum et Bannez.

*Prob. 1<sup>o</sup> ex S. Scriptura. Joann., III, 14 et 15, cit. in prob. primæ partis secundæ conclusionis. Marc., XVI, 15 et 16 : Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur. Joann., III, 36, Christus non solum dicit quod qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed addit quod ira Dei manet super eum, id est quod remanet peccator et injustus.*

*Prob. 2<sup>o</sup> ex loco Tridentini ibidem citato, ubi agitur, non solum de glorificatione, sed etiam et præcipue de justificatione. Cui consonat responsum Congr. S. Officii, quæ interrogata : « Utrum adultus qui in mortis articulo versaretur, quique promitteret fore ut, post recuperatam sanitatem, fidei veritates addisceret, baptizari posset, » rescripsit die 10 maii 1703 : « Non sufficere promissionem ; sed missionarium teneri adulto, etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quæ sunt necessaria necessitate fidei, ut sunt præcipue mysteria Trinitatis et Incarnationis. »*

*Prob. 3<sup>o</sup> ratione. Justus est filius Dei adoptivus et hæres gloriæ. Ergo, si fides implicita sufficiat ad justificationem, sufficit etiam ad gloriam ; quod non admittunt adversarii.*

*Obijciuntur plures casus in quibus videtur sufficere ad salutem fides implicita Incarnationis et Trinitatis. 1<sup>o</sup> Puer nutritus in silvis, aut inter barbaras nationes, si sequatur ductum rectæ rationis in fuga mali et prosecutione boni, secundum D. Thomam salvabitur. 2<sup>o</sup> Si puer, cum instans*

rationis attigerit, non instruat de mysteriis præfatis, dummodo convertatur ad Deum, justificabitur. 3<sup>o</sup> Sunt adeo rudes et stupidi, ut non valeant conceptu apprehendere hæc mysteria. Idem dicendum de surdis et mutis a nativitate. Non tamen dici potest salutem illis esse impossibilem : alioquin Deus non satis illis provideret.

*Resp. ad 1<sup>um</sup>, cum D. Thoma, de Verit., q. 14, a. 11, ad 1 : « Si aliquis taliter nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod et Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act., x.*

*Resp. ad 2<sup>um</sup>. Instans rationis est morale, habens aliquam durationem, in qua sive a Deo, sive ab angelo, sive ab homine potest puer instrui. Quæ extraordinariæ instructiones non debent dici miraculosæ, quia consequuntur naturaliter ad voluntatem Dei salvandi homines.*

*Resp. ad 3<sup>um</sup>. Non requiritur ad fidem intelligentia, sed assensus, nec ullus est adeo stupidus qui, auxilio gratiæ adjutus, non possit mysteria Incarnationis et Trinitatis saltem in confuso et quoad substantiam apprehendere. Quod si neges, ii sunt adnumerandi inter infantes et amentes, qui sine fide actuali, per solam fidem habitualement in baptismo susceptam salvantur.]*

*Ex dictis colliges, eos qui præfata mysteria Incarnationis et Trinitatis quoad substantiam ignorant, etiamsi invincibiliter, esse absolutionis incapaces, et omnes confessiones in hac ignorantia factas, esse nullas et iterandas, neque sufficere ea aliquando credidisse, si de facto nunc ignorantur.*

[Huc faciunt propositiones sequentes damnatæ ab Innocentio XI, die 2 martii 1679 : « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini

nostri Jesu Christi, » n. 64. — « Sufficit illa mysteria semel credidisse, » n. 65.]

## ARTICULUS II

*Cæteræ difficultates circa actum fidei internum expenduntur.*

*Petes 1º quæ sint credenda necessitate præcepti.*

*Resp.* Omnes fideles in hoc statu legis evangelicæ tenentur ex præcepto obligante sub peccato mortali credere explicitè, saltem quoad substantiam et præcipuas circumstantias : 1º omnes articulos contentos in Symbolo Apostolorum ; 2º omnia præcepta Decalogi et Ecclesiæ ; 3º orationem Dominicam ; 4º sacramenta necessario suscipienda, quæ sunt tria : baptismus, eucharistia et pœnitentia.

Ratio primæ partis est, quia Apostoli ex præcepto Christi tenebantur illos articulos docere explicitè, juxta illud, *Marc.*, xvi, 13 : *Prædicate Evangelium omni creature* ; et ideo hoc Symbolum composuerunt antequam inciperent prædicare. Ergo inest fidelibus obligatio illos credendi. Inutile namque foret præceptum instruendi, si non sit obligatio credendi. Et ita præcipitur cap. *Baptizandos*, de consecr., dist. 4, cap. 38. Unde Catechismus Romanus, p. I, c. 1, n. 2 : « Quæ primum, inquit, Christiani homines tenere debent, illa sunt quæ... sancti Apostoli, divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt. »

Ratio secundæ partis est, quia quilibet fidelis tenetur præcepta Decalogi et Ecclesiæ servare. Ergo et illa scire, seu credere.

Ratio tertie partis petitur ex necessitate cognoscendi ea quæ a Deo petere debemus. Hæc autem continentur in oratione Dominica.

Ratio quartæ partis est, quia hæc sacramenta rite suscipere non potest, qui ea et dispositiones ad illa requisitas ignorat.

Dixi : « Saltem quoad substantiam et præcipuas cir-

cumstantias ; » quia, ut ait author, subtiles considerationes circa hæc mysteria tenentur aliqui magis vel minus explicitè credere, secundum quod statui et officio uniuscujusque competit ; magis pastores, doctores, prædicatores, confessarii, qui aliis instruendis sunt deputati, quam fideles de populo.

*Petes 2º quandonam obliget præceptum fidei.*

Duplex est præceptum fidei : unum affirmativum, assentiendi veritatibus revelatis ; aliud negativum, non negandi fidem susceptam seu agnitam. Hoc secundum obligat pro semper ; non primum, sed determinato tempore, sicut alia præcepta affirmativa. Quo autem tempore ?

*Resp.* 1º Præceptum fidei affirmativum obligat per se adultum rationis compotem statim moraliter ac credenda et credendi motiva ipsi sufficienter proponuntur ; quia fides est medium necessarium ad salutem, ut diximus. Tenetur autem adultus statim moraliter adhibere medium suæ saluti necessarium, præsertim cum, si non credat, periculum sit ne agnitæ veritati positive dissentiat, sicque peccet contra præceptum negativum. Adde quod, cum hoc præceptum per se aliquando obliget, non possit assignari tempus convenientius, quam primum instans vitæ moralis, aut sufficientis illuminationis.

Dixi : « Statim moraliter ; » quia, quoad pueros, non est nimis scrupulose cum ipsis agendum ; sæpe enim accidit quod, etiam adepto usu rationis, mysteria fidei non sufficienter ipsis proponantur, aut quod non apprehendant obligationem gravem credendi. Unde raro peccant contra hoc præceptum, non eliciendo statim actum fidei.

2º Præceptum fidei affirmativum obligat per se in periculo mortis, in quo obligant præcepta spei et charitatis, et homo attingit suum terminum.

3º Præter hos casus, præceptum fidei affirmativum obligat per se pluries in vita. Patet 1º ex sequentibus propositionibus damnatis ab Innocentio XI. Prima : « Satis est actum fidei semel in vita elicere. » Est 17ª inter dam-

natas. Altera : « Sufficit illa mysteria [scilicet Trinitatis et Incarnationis] semel credidisse. Est 65<sup>a</sup>. 2<sup>o</sup> Quia, juxta Scripturam, *Rom.*, I, 17, justus ex fide vivit. Quomodo autem viveret ex fide, si unum illius actum tantum in tota vita eliceret. 3<sup>o</sup> Quia præcepta aliarum virtutum, spei, charitatis, etc., pluries obligat in vita. Quidni et fidei ?

At quoties obligat in vita ? Certo determinari non potest. Mire hac in re variant auctores. Quidam enim dicunt singulis diebus dominicis et festis ; alii, singulis mensibus ; alii, semel in anno ; alii, in majoribus solemnitatibus.

[S. Ligorius dicit, lib. III, n. 7 : « Sat probabiliter putant Salmanticenses, cum aliis, teneri saltem semel in anno fideles ad exercendum actum fidei. » Et addit, hanc sententiam esse communem. Advertit idem, quod huic præcepto fiat satis etiam per exercitium aliarum virtutum, sive per susceptionem sacramentorum, sive ex quacumque alia occasione actus fidei ponantur.

Expediit ut fideles inducantur ad actus fidei explicite eliciendos singulis diebus, cum preces consuetas recitant, quibus communiter adduntur formulæ actuum fidei, spei et charitatis. Ita habitus fidei confirmatur, abundanter obligationi satisficit, et meritum huic virtuti annexum multiplicatur.

An vero teneamur hos actus elicere formaliter, scilicet ex motivo Dei revelantis ? Optime quidem hoc motivum in actu explicito enuntiatur, sed sufficienter includitur in quocumque actu fidei, etiam implicito, quamvis non fiat reflexe ex motivo proprio. « Qui enim, ait S. Ligorius, *ibid.*, sæpius posuit fidem tamquam regulam suarum actionum, quibus vult ad Deum tendere, quidquid postea boni agit, ex eadem regula jam ad Deum dirigit exercite, licet non advertat. »]

*Resp.* 2<sup>o</sup> Præceptum fidei affirmativum obligat per accidens, quando urget gravis tentatio, sive contra fidem, sive contra aliam virtutem, quæ non nisi expresso fidei

actu superari potest. 2<sup>o</sup> Quoties urget aliquod aliud præceptum quod sine fide impleri non potest, ut dum tenetur pœnitere, aliquod sacramentum suscipere, missam celebrare aut audire, etc.; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media. In his tamen non videtur necesse quod interveniat actus fidei expressus et in actu signato, quo quis dicat : « Credo Deum esse, quem nunc oro ; credo sacramentum quod nunc suscipio ; » sed sufficit quod implicite et in actu exercito credat, quatenus ex notitia fidei sciens Deum esse, Redemptorem esse, hoc esse sacramentum, etc., intendit Deum orare, diligere, sacrum celebrare, sacramentum suscipere, etc.

[Addendum est : post lapsum in hæresim, aut fidem negatam, quia de necessitate reparanda est injuria primæ Veritati illata. Ita omnes.]

*Petes* 3<sup>o</sup> utrum ad assensum fidei requiratur pia motio voluntatis.

*Resp.* affirmative<sup>1</sup>.

[Hoc docet concilium Vaticanum in constit. *Dei Filius*, cap. 3, his verbis : « Licet fidei assensus nequaquam sit motus animi cæcus, nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati<sup>2</sup>. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando. »

*Prob.* 1<sup>o</sup> quia ad *Rom.*, x, 10, dicitur : *Corde creditur ad justitiam*, id est voluntate movente intellectum ad credendum, ut ibidem explicat Angelicus, lect. 2. Et colligitur

1. Hic q. 2, a. 1, ad 3 ; q. 1, a. 4, o. — 2. Synod. Arausic., II, can. 7.

ex usu S. Scripturæ, juxta quem cor pro voluntate sumi solet. Unde Augustinus, *Tract. xxiv in Joann.*, n. 2: « Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest, nisi volens. »]

2º Intellectus non determinatur nisi vel ab objecto evidenti, vel a voluntate. Atqui ad assensum fidei non determinatur ab objecto, quod est necessario obscurum et invidens. Ergo a voluntate.

3º Actus fidei est liber tam quoad exercitium quam quoad specificationem, scilicet in ratione assensus, potius quam dissensus. Ergo indiget motione voluntatis, qua determinetur intellectus ad assensum potius quam ad dissensum.

[Hæc motio dicitur « pia, » quia est necessario ab auxilio gratiæ, alioquin non foret supernaturalis, et initium salutis esset a nobis; quod fuit damnatum in semi-pelagianis. Unde concilium Tridentinum docet, sess. vi, cap. 6, quod homines « disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt. »]

Ista autem pia motio est complacentia quædam seu affectus, ex auxilio gratiæ, erga summam Dei veracitatem, vi cujus determinat intellectum ad assentiendum ea firmitate quæ superat omnem firmitatem ortam ex quovis actu scientifico vel experimentalis.

[Petes 4º utrum sufficiat adhærere veritatibus ut de fide credendis definitis ab Ecclesia, negligendo vel etiam ut liberis considerando alias decisiones doctrinales quas Romani Pontifices ediderunt.

*Resp. negative.* Ita statuit Leo XIII in Encyclica *Immortale Dei*, 1 novemb. 1888: « In opinando quidem, inquit, quæcumque Pontifices Romani tradiderint vel tradituri

sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri; ac nominatim de iis quas libertates vocant novissimo tempore quæsitæ, oportet Apostolicæ Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. » Ratio est, quia summus Pontifex inerrantia sibi divinitus concessa gaudet, non tantum cum aliquid tamquam de fide credendum definit, quod raro contingit, sed quoties ut doctor universalis de veritate vel falsitate alicujus doctrinæ pronuntiat.

Hinc est quod concilium Vaticanum, pluribus erroribus damnatis per constitutionem *Dei Filius*, addit: « Quoniam vero satis non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam constitutiones et decreta quibus pravæ ejusmodi opiniones quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt. »

Sententia opposita jam fuerat explosa per damnationem sequentis propositionis, quæ in *Syllabo Encyclicæ Quanta cura*, 8 decemb. 1864, adnexo, sub nº 22 legitur: « Obligatio qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coaretatur in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesiæ iudicio veluti fidei dogma ab omnibus credenda proponuntur. » Hanc propositionem anno præcedenti ut erroneam et ab omnibus rejiciendam notaverat Pius IX, in epistola ad archiepiscopum Friburgensem.

Unde resolves, quemlibet formaliter amplectentem et pertinaciter tenentem doctrinam ab Apostolica Sede proscriptam ut erroneam, etsi propositio contradictoria non doceatur ut de fide tenenda, peccatum ex genere suo mortale committere. Dico « ex genere suo mortale; » quia, cum Ecclesia multas sententias oppositas liberrime agitari sinat, omnis error ab ea positive proscriptus gravis censeri debet.]

## ARTICULUS III

*De actu fidei externo.*

Duplex est præceptum de actu fidei externo, sicut diximus de interno: unum negativum, non negandi fidem exterius; alterum affirmativum, confitendi fidem exterius.

Dico 1<sup>o</sup>: In nullo unquam casu, etiam vitandæ mortis, licet fidem corde retentam ore vel facto negare, falsamve exterius profiteri seu simulare.

*Constat* 1<sup>o</sup> ex verbis Christi, *Matth.*, x, 33, et *Luc.*, xii, 9, ubi dicit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Et *Apost.*, II *Tim.*, ii, 12: *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Est ergo præceptum divinum negativum non negandi fidem. Ea est autem natura præcepti negativi, quod semper et pro semper obliget.

2<sup>o</sup> Negare fidem, est dicere Deum revelasse falsum, vel fidei dogma non revelasse. Atqui utrumque est mendacium Deo injuriosum. Ergo nunquam licitum.

Dixi 1<sup>o</sup>: « Ore vel facto; » quia utrimque est mendacium<sup>1</sup>, cum hac sola differentia, quod mendacium facto dicatur simulatio.

Dixi 2<sup>o</sup>: « Vel falsam exterius profiteri seu simulare; » quia falsam fidem seu religionem simulare et exterius profiteri, perinde est ac veram negare; qui enim se verbo dicit aut facto exhibet Calvinistam, se negat Catholicum.

*Petes* quandonam in praxi quis censeatur facto simulare aut profiteri exterius falsam religionem.

*Resp.* et sit regula generalis. Usurpare signa, ritus, cæremonias, vestes, actiones quæ sunt primario distinctiva sectæ a secta, seu quæ sive ex se, sive ex institutione, sive ex circumstantiis sunt primario significativa professionis falsæ fidei, est istam falsam fidem exterius profiteri; et ideo nunquam licitum. Quæ vero distinguunt pri-

1. Hic q. 111, a. 1, o.

mario, non sectam a secta, sed gentem a gente, seu quæ per accidens tantum indirecte et secundario sunt significativa professionis falsæ fidei, quamvis sint vitanda, ne demus aliquibus occasionem credendi nos negasse fidem, subsistente tamen justa necessitatis causa huic deceptioni præponderante, possunt licite usurpari; quia hoc non est absolute falsam fidem profiteri. Ex hac regula rite intellecta et applicata, multos casus resolves. Quosdam referam.

Hinc igitur *inferes* 1<sup>o</sup>, flectere genua coram idolo, ei thus adolere, etiamsi intentio dirigatur ad occultum crucifixum, gestare imaginem Mahumeti in collo appensam, sumere cœnam Calvinistarum, psalmos in eorum templis cantare, pulsare organa, contrahere matrimonium coram ministro benedicente nuptias secundum ritum suæ sectæ, nunquam esse licitum; quia hæc sunt primario distinctiva sectæ a secta, et primo per se falsæ religionis significativa.

[Constitutione *Ex quo singulari*, 11 julii 1742 data, Benedictus XIV, constitutionem Clementis XI *Ex illa die* confirmans, declaravit non licere Sinensibus christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem. Eis permittitur eos tantum servare usus qui non nisi civiles haberi poterant, ut erant ii qui in honorem Confucii fuerant instituti, dummodo amandarentur omnes ritus in quibus cultus religiosus includebatur.

*Inferes* 2<sup>o</sup> catholicis *regulariter* non licere hæreticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse, ut fuit declaratum a Congreg. S. Officii die 10 maii 1770. Unde concludes quod munus patrini in hæreticorum baptisate, et testis in eorum matrimoniis, suscipere, a fortiori eodem decreto prohibetur. Hoc eruitur ex Instructione Pii VI, die 26 sept. 1791, et ex ejusdem responsis ad clerum Galliarum, die 28 maii 1793. — Quantum ad simplicem assistentiam, dictum est eam *regulariter* non esse licitam, quia si præsentia sit mere materialis, ut

quandoque accidere potest, et ex adjunctis satis deprehendatur eam nullam continere aut supponere communicationem in divinis cum hæreticis, et aliunde scandali occasionem non præbeat, a peccato excusari poterit. — At vero, ut evidenter apparet, si quis catholicus, spretis Ecclesiæ legibus, nuptias coram ministro cultus dissidentis contrahat, nemini catholico tali matrimonio assistere licet, etiamsi interius illi non assentiat. Imo parentes et sanguine conjunctiores id positive improbare tenentur. — Quæstioni: « An liceat catholicis adire templa hæreticorum? » Congreg. S. Officii respondit, die 14 januarii 1718: « Licere, si adeant meræ curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris. » — Si de funeribus hæreticorum agatur, distinguendum est. Quæ ad officium mere civile pertinent, veluti comitari corpus usque ad fores templi vel cæmeterii, permitti possunt. Alia quæ naturam aut speciem communionis cum hæreticis habent, sunt prohibenda. Cæterum plura quæ in uno loco admitti possent, in alio nequeunt tolerari, propterea quod ex circumstantiis vel ex moribus regionis diversam accipiunt significationem. Unde attendere oportet ad locorum consuetudinem, et in dubio superiores sunt consulendi. Ita Gury-Dumas, num. 192, 5<sup>o</sup>.

*Inferes* 3<sup>o</sup> eos graviter peccare qui funeribus mere civilibus eorum qui fidem catholicam abjurarunt intersunt; quia hujusmodi funera, ex quibus omnia signa religionis consulto excluduntur, non sunt nisi aperta impietatis confessio, cui ne proximis quidem defuncti licet cooperari.]

*Inferes* 4<sup>o</sup> e contra licitum esse ex justa causa gestare vestem longam Turcicam, aut etiam quam *turbantem* vocant, ad occultandam fidem. Quamvis enim nunquam licitum sit fidem negare, licet tamen eam quandoque celare et dissimulare, nec illa vestis est primario ad distinctionem religionis, sed gentis, nec eam assumit Catholicus ut credatur profiteri religionem Turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi et inquirendi de religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum idololatrarum, quæ

non sunt destinatæ præcise usibus suæ religionis. Idem de earum vexillis in bello, ut sic decipiantur et vincantur.

Dico 2<sup>o</sup>: Ex præcepto Christi tenetur fidelis aliquando fidem suam exterius confiteri<sup>1</sup>.

*Prob.* Christus, *Matth.*, x, 32, dicit: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* *Luc.*, ix, 26: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* Et Apostolus, *Rom.*, x, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Author hic<sup>2</sup> duos casus assignat, in quibus hoc præceptum affirmativum fidei confitendæ obligat, scilicet: « Quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide. S. Doctorem sequuntur omnes theologi. Et merito; supposito enim præcepto fidei confitendæ aliquando obligante, non possunt assignari casus in quibus urgeat magis ejus observatio, quam hi duo quos assignat S. Thomas.

[Unde damnata est ab Innocentio XI, die 2 martii 1679, propositio sequens, quæ est 18<sup>a</sup>: « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum non damno. »

Notandum est tamen hanc propositionem ut nimis generalem fuisse damnatam, quia scilicet includit etiam casus in quibus silentium negationi fidei æquivaleret. Communiter enim admittitur, cum S. Ligorio, lib. III, n. 13, licere, justa de causa, occultare fidem, seu veritatem tegere verbis aliisve signis ambiguis et indifferentibus, quoties non urget præceptum fidem profitendi, quod, in

1. Hic q. 3, a. 2, o. — 2. Ibid.



quantum est affirmativum, obligat quidem semper, sed non pro semper. Hinc de fide non in forma juridica interrogatus, potest tacere vel obscure respondere. Non est enim generatim verum quod interrogatus ab iis qui auctoritatem publicam exercent, teneatur fidem profiteri, nisi hæc professio ex adjunctis necessaria fiat, ne adstantibus videatur fidem negare. Multo magis fas erit alicui nolle privatorum curiositati satisfacere: nisi rogatus de fide in odium religionis, sic agendo, videretur veritatem negare; quod ex circumstantiis judicandum est.

Dico 3<sup>o</sup>: Ad fidei professionem externam jure ecclesiastico tenentur, sub peccato mortali, ex concilio Trident., sess. xxiv, cap. 12 de reform., sequentes:

« Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius episcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus vicario seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur. Alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » — Ex tenore hujus decreti, non tenentur ad dictam professionem provisi de canonicatibus in ecclesiis tantum collegiatis, vel de beneficiis simplicibus. — Præcepit insuper sacrosanctum concilium, sess. xxv, cap. 2 de reform., ut patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi eandem professionem fidei emittant in prima synodo provinciali in qua ipsi interfuerint; item ut idem faciant in prima synodo diocesana in qua convenire debent cæteri omnes qui beneficia ecclesiastica sunt habituri. Hanc legem extendit Pius IV ad omnes prælatos religionum, etiam militarium, et Pius V ad omnes promovendos in doctores, magistros, regentes et professores. Monet De Angelis, *Prælect. juris canon.*, lib. I, tit. 1, n. 2, « constitutionem Pii IV non esse usu receptam quoad illos prælatos qui non a S. Sede, sed

a superioribus suis vel a capitulo regimini regularium præficiuntur. » Sanchez vero, c. 3, n. 4, dicit decretum Pii V non obligare ubi usu non fuit receptum. Quantum ad pœnam fructus non faciendi suos in omittentes professionem fidei a Trident. latam, æstimat S. Ligorius, lib. III, n. 11, ad eam hos non teneri ante sententiam.

Notandum est hanc professionem fidei faciendam esse secundum formulam a Pio IV præscriptam, in qua inserenda est, jussu Pii IX, expressa mentio de his « quæ ab œcumenico concilio Vaticano tradita, definita ac declarata fuerunt, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio. »

Etsi probabile est hanc professionem fieri posse per procuratorem, probabilius tamen est, promotum teneri personaliter. Ratio est, quia alias non videtur fieri satis juramento, quod personaliter faciendum est. S. Lig., lib. II, n. 11.]

## DISSERTATIO IV

## DE HABITU ET SUBJECTO FIDEI

D. Thomas, qq. 4 et 5.

## ARTICULUS I

*De habitu fidei*

*Petes 1<sup>o</sup> utrum fides recte definiatur ab Apostolo, Hebr. xi, 1: Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

*Resp. 1<sup>a</sup> hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimam, quia continet*

1. Hic q. 4, a. 1, o.